



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Mutius C. 25. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

*Solenter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet aduersa meditari, ut semper hæc cogitans semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, superet, & quidquid non accesserit, lucrum putet. S. Greg. 5. Mor. c. 33.*

## S. MUTIUS C. 25. Maii.

**A**Gite mortales, & vel latronem ducem ad cælum sequimini. **MURIVS** hic est, qui apparatu compilandi sacri Parthenonis somno oppressus, rapi ad diuinum tribunal tibi visus, supplicias suis facinoribus parata intellexit, nisi celeri poenitentia ipse sibi jus dixisset. **MURIVS** recta ad sacratos profectus viros, animæ vulnerum medicinam eos poposcit. Tres primùm ex odis Davidicis strophæ ei præscriptæ; quam ad animum cum vitam exigeret, Superi postea ejus erudiendi provinciam sibi depoposcerunt. In eorum contubernio expolitus, scholam denique aperuit ex latrone magister factus virtutis. Eum sol reveritus est, inaudito post Josue factum exemplo, ita cursum moderans, ut non antè occumberet, quam ille iugurio discipuli successisset; quem præter spem defunctum cum invenisset, rogavit familiariter, an redire in vitam veller. Abnuentem valere iussit, & tumulto composuit; quod ille officium tam studiosè suis impendit.



26. Maii. VITÆ SANCTORUM. 337  
pendit, ut nonnemo e sepulchro parcere  
eum sumptui operæque jussit. Alteri ad  
mortem imperato vitæ triennium impe-  
travit. Ne curâ corporis à Deo avocaretur,  
mensam illi Dominicis diebus An-  
gelus instruxit, cæteros impransus, &  
incoenatus egit. Hunc tamen tam vici-  
num cælo avocare, ad nescio quos Pha-  
raonis thesauros dæmon institit. Sed il-  
le Nilum calcare solitus, & clausis fori-  
bus, quoquò libuisset, penetrare, viam  
denique etiam ad Cælites reperit, violen-  
tus scilicet homo, atque uti olim ædi-  
bus, ita cælo quoque vim facturus, nisi  
spontè patuisset. *Ex vit. PP.*

*Nemo diffidat, nemo veterum conscius  
peccatorum præmia divina desperet: novit  
Dominus mutare sententiam, si tu noveris  
mutare delictum. S. Aug. ps. 50.*

S. CARPUS EP. 26. Maii.

**N**on est cordi Deo regida pietas, &  
justitia misericordiæ oleo non tem-  
perata. Id **CARPUS** te docebit, qui à  
Paulo Apostolo Christianâ Philosophiâ  
imbutus, hujus tam prælati & neces-  
sarii axiomatis aliquando visus est obli-  
visci. Compererat Christianæ militiæ  
tyronem, ad deserenda crucis signa, à  
dæmonis cultore esse inductum, quâ in-  
juriâ ad Deum Opt. Max. pertinente, i-  
ta est exacerbatus, ut impia ex æquo  
capi-

X